DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

PARRICIDIIS,

Vulgo

Vom Vater-Mord

Quam

SUB DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO ET AUSPICIO,

AUCTORITATE & DECRETO

Magnifici, & Nobilissimi JConsultorum Ordinis

in antiqua Almaque Rauracorum

BASILEA,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis rite, solemniter consequendis,

Publicæ ac solenni eruditorum disquisitioni submittit

HENRICUS DE BILDERBECK,

Agrippinas.

Ad diem ult. Martii Anni M DC LXIIX,

Horis locoque consuetis.





BASILEÆ,


Typis JOH. JACOBI DECKERI, Academiæ Typographi,

Recusa 1702.

Illustrissimis & Potentissimis

HOLLANDIÆ
ET
WESTFRISIÆ
ORDINIBUS,
Patriæ Patribus,


Inauguralem hanc Exercitationem
consecrat
AUTHOR.





Uàm in Vos, Illustrissimi, & Potentissimi Proceres, raro exemplo, beneficus fuerit, ab omni ævo, qui cuncta hæc nutu suo gubernat Deus, annales loquuntur, fama perorat, universus miratur & stupet orbis. Quæ alias Gentes ultra communem extulere sortem, commoditas situs, incolarum opes, rei militaris gloria, in alias imperium, vobis cum illis sunt communia, sola Libertas, cum paucis, vestrum peculiũ est, quam à Romanis, quibus impervium videbatur nihil, nihil restiturum, tentatam: ab aliis sæpius lacessitam: ab Hesperiæ Domino, Majorum memoriâ, tantùm non oppressam, causæ fiduciâ, favore cœli, concordiâ victrice freti generosè tutati estis, fortissimorumq; pectorum objectu tanta cum gloria devolutam ad Vos à Majoribus hereditatem sartam tectamq; conservastis, ut par felicitati gloriæq; vestræ nihil habeat hodierna ætas, nec quæ secutura sunt secula, majus quiddam promittere ausint. Sed dum unicam hanc Libertatem vindicâstis, quæ non cumulatim victrices terras vestras inundavere bona? Olim sub libero regimine: mox sub Ducum, Comitumve moderato imperio, Regem enim vestra Regio nescit: tandem post tyrannidem, quæ ad breve tempus cervicibus vestris incubuit, felicissimè excussam, ad avitum morem redintegrato regimine, subjectos vobis populos ex Juris norma moderamini; commercio cum omnibus Veteris Noviq; Mundi incolis, faustissimis hactenus auspiciis, exercito locupletatis; fovetis Musas, quæ nullibi, quàm apud Vos delicatius habent, solamini afflictos, exulibus dulcis patriæ suæ induitis oblivium, & quod maximum est,

est, Orthodoxam Ecclesiam sinu fovetis, alis vestris protegitis, dextrâ tuemini: Hinc fieri non potuit, quæ homines perversos agit innata pravitas, quin adeo inusitata felicitas apud plurimos, quibus malignus est oculus, invidiam, ista odium, hoc dein occulta primùm molimina, mox in nervum prorumpentes minas, bellum deniq; & armatæ malignitatis ultimos conatus conflaverit. Sed, Deo sit gloria, eo cum successu, quem nemo magis, quàm hostes sentiant, quibus merito dolere debet, totius fermè conjurati orbis consilia, quæ nescio cujus Alexandrizantis infelix ambitio procuderat, in vanum cecidisse, sed qui in vanum? Imo in illustrius vestri decus, & crudelius hostilium animorum tormentum. Cum hostibus, cum sociis: cum inimicis, cum amicis confligendum erat: terrâ mariq; excidium intentabatur, intra ipsa viscera scintillæ gliscebant: sed ubiq; luctati, ubiq; emersistis: aperta odia armis, tectas insidias sagacitate, intestinas fraudes severitate, omnia, quæ imminebant felicitati penitus inusitatà ulti estis. Sic Victor à cruento conflictu Leo vester, seq; ipso major redux, placidus nunc sublimes admittit Lauros, & fortitudinis suæ fructus colligit, quorum præcipui rerum bene gestarum gloria, virtutum conscientia, & sensus favoris divini. Qua in gratulantium turba ne timerem & ipse, Clientum licèt vestrorum humilimus, accedere, & tot laureis inaugurales has hederas adjicere, effecit favor insolitus, quo Parentem, Avumq; complexi estis, eousque, ut in magni momenti negotiis eorum operâ consiliisq; etiam usi fueritis. Horum filius, nepos q;, cùm aliud nil possim, auri enim argentiq; immensa pondera, eboris, thurisq; vim uberrimam, unionum, gemmarumq; prodigia, Vestra vobis India mittit, vota precesq; ad Deum, qui stator & auctor vestri Imperii est, ardentissimas fundo, ut felicitatem, quâ hactenus tanta cum vestra gloria, totq; gentium emolumento estis fruiti, velit esse solidam, & in sera secula perennem! Basileæ, Non. Calend. April. Anni M. DC LXVIII.



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

de

PARRICIDIO.

THESIS I.



Rimen homicidii per se satis atrox ex concurrentibus qualitatibus, & circumstantiis fieri potest atrocissimum, id quod fit in PARRICIDIO, ASSASSINIO, VENEFICIO, LATROCINIO, aliisque casibus, quibus non immeritò à regula communi recedendum, pœnaque atrocior Reo delinquenti ob Criminis qualitatem irroganda est. Sed omnium horum asperrimum, immanissimum, atq; prorsus execrandum est Parricidii Crimen; Et sicut inter delicta, quæ in hominem committuntur, nullum gravius quàm homicidium, ita inter omnia homicidia nullum parricidio atrocius reputatur. De quo crimine Solon unus ille ex septem Græciæ sapientibus, & Atheniensium legislator legem non tulit, propterea, quòd tam impium, & nefarium scelus in cor hominis cadere non posse existimârit, ut refert Eloquentiæ Parens

Cicero *Orat. pro Sext. Roscio Amerino.* Cujus exemplum seqvutus Romulus similiter nullum supplicium in Parricidas constituit, quòd etiam non putârit tantæ immanitatis quempiam fore, qui tam fœdum & horrendum facinus perpetraturus esset. Plutarch. in *Vita Romuli;* quod & idem de Persis testatur Herodotus *lib. 1.* Quid enim ipsi naturæ horribilius, quàm esse aliquem humanâ specie & figurâ, qui tamen immanitate bestias (quæ non modò fœtus sed etiam parentes suos amant) & feritate superârit, ut propter quos hanc svavissimam lucem aspexit, eos indignissimè luce privaret, suaque propria viscera & pignora nefariè trucidaret! Ob immanitatem igitur hujus Criminis Majores Romanorum & Imperatores singulare in Parricidas excogitârunt supplicium, ut quos natura ipsa retinere in officio non posset, ii magnitudine Pœnæ maleficio submonerentur. De gravissimo hoc delicto, ejusque constituta Pœna præsenti dissertatione agere animus est, breviter, & per compendium quasi, cùm prolixos facere Commentarios temporis angustia, & rerum mearum status non patitur.

II.

Propriè, & strictissimè Parricida dicitur, qui patrem occidit, quasi Patricida, aut per syncopen, quasi parenticida, teste Quintil. 8. *Inst. Orat. 6.* Ut autem apud alios Classicos auctores observare licet, nonnunquam ita latè verbum Parricidii accipitur, ut quamcunque atrociorem cædem designet; quasi quòd sit paris hominis occisio: apparet id ex verbis Numæ Pompilii legis, quam Festus in Verb. *Parici quæstores* nobis servavit: *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, Parricida esto.* Sic quæstores parricidii, appellati, quæstores rerum capitalium. *l. 2. vel ult. §. 23. ff. de Orig. Jur.* Et clausula *Parricida esto*, in omni re capitali

pone-

ponebatur. Cicero 2. de legibus: *Sacrum sacrove commendatum, qui clepserit, rapsitve, parricida esto*, i. e. Capital esto. D. Arnold. Vinnius Comm. ad §. 6. *Inst. de publ. Jud.* Forsan & hæc conjectura sumi potest, in quæstoribus parricidii denominationem esse à majori, ita, ut sub ambitu parricidii minora crimina contineantur, quorum cognitio pertineat ad quæstores Parricidii, quia & ipsius Parricidii cognitio ad eos pertinet.

III.

Planè Principis interfector Parricida jure optimo dici potest: Pater enim Patriæ Princeps appellari solet: Quid autem sibi voluerit hæc acclamatio, quidq; Romani Veteres monuerint his verbis, *Pater Patriæ*, planissimè docet Seneca, cujus verba non gravabor adscribere ex *libr. 1. d. Clem. c. 14.* sunt enim illustria, & sempiternâ memoriâ Principibus Viris retinenda. *Hoc quod parenti, etiam Principi*, inquit, *faciendum est: quem appellavimus patrem patriæ, non adulatione vanâ adducti. Cætera enim Cognomina honori data sunt. Magnos, & Felices, & Augustos diximus, & ambitiosæ Majestati, quicquid potuimus titulorum, congessimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem Patriæ appellamus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Imo atrocius est Crimen Patrem Patriæ quàm suum parentem occidere. Cicerò *Philipp. 2.* Ita Turnus, qui res novas adversus Tarquinium moliri putabatur, Parricida vocatur Livio *lib. 1. c. 25.* Et Cæsaris interfectores omnes Parricidæ dicti, diesque quo trucidatus, *Parricidium* nominatus est. Suet. *in Julio c. 88.* Quanquam autem Parricidii vocabulum ita latè pateat; nos tamen solummodò de iis Parricidis agemus, qui lege Pompejâ de Parricidiis continentur. Quæ lex nullam Principis facit mentionem,

 quip-

quippe lata eo tempore, quo imperium adhuc penes populum erat, nec opus erit, ut nos Perſonis in d. lege comprehenſis Principem adjiciamus: tametſi enim Pater Patriæ ſit, de eo ſatis cautum Conſtitutionibus Principalibus circa crimen læſæ Majeſtatis *tot. tit. D. et. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt.*

IV.

Lege Pompejà (quam Pompejus cognomento Magnus Princeps ſuo tempore in republica & ter Conſul, ut videtur Hub. Giphonio in *ind. hiſt. anno V. Cond. DCCII.* tulit) qui tanquam parricidæ teneantur, & puniendi ſint, nominatim cavetur, & definitum eſt: ſcilicet, qui fata parentum, liberorum, fratris, ſororis, Patruelis, Matruelis, Patrui, Avunculi, Amitæ, Conſobrini, eorumve, qui propiore gradu ſunt: Viri uxoris Soceri, Generi, Vitrici, Novercæ, Privigni, Patroni, Sponſi, Sponſæve, nec non parentum eorum fata præparant. *l. 1. 3. 4. ff. ad Leg. Pomp. de de Parricid.* §. *alia deinde lex, 6. Inſt. de Publ. Jud.* ubi Joh. Harppr. n. 23. Facilimè exinde definitio exſtrui poterit in hunc ferè modum. Parricidium eſt cædes nefaria qualitercunque contra pietatem, & jus ſanguinis in aſcendentes, deſcenden tes, transverſales, & affines perpetrata D. Carpzov. *pract. Crimin. part. 1. qu. 8. n. 2.* Omiſi conſultò, Crimen publicum: ſatis enim id reor eſſe notum. Vide ſis Decian. in *tract. Crim. lib. 9. c. 5. n. 2.* Proſp. Farinac. *prax. Crimin. part. 5. qu. 120. n. 136.* Omiſi mentionem doli. Quod enim in parricidio difficilius arguatur dolus, facit ſummus amor & arctiſſima neceſſitudo, quæ inter proximas perſonas, imprimis inter parentes, & liberos eſt, doli ſuſpicionem aut minuit, aut excludit. Quo argumento Cicero uſus eſt pro *Sext. Roſc.* contendens in hoc tanto crimine accuſatorem, & audaciam ejus, qui in crimen vocatur: ſingula-

 gula-

gularem ostendi debere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis, flagitiisque omnibus deditam, omniq; denique ad perniciem profligata, atque perdita: incredibile enim esse vult Ant. Matthæus *d. Crim. libr. 48. tit. 6. n. 6.* mortem oblatam patri à filio sine plurimis & maximis causis: & contra odio fuisse parenti filium; sine causis multis, & magnis, & necessariis.

V.

In lege Pompeja primo loco ponitur ille casus, si liberi parentes occidant *d. l. 1. ff. h. t.* Quæ cædes, uti omnium crudelissima est, vitâ sc. privare eos, à quibus vitam quis habet, ita & propriissimè parricidium dicitur, quasi parentum cædes. Addit d. loc. A. Matthæus illud Ciceronianum; *Nisi multa, & manifesta sceleris vestigia sint; res tam scelesta, tam atrox, nam nefaria credi non potest. Magna est enim vis humanitatis: multùm valet communio sangvinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est esse aliquem humanâ specie, & figurâ, qui tantùm immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexit, eos indignissimè luce privarit.* Parentum appellatio hîc latissima est, & omnes ascendentes complectitur. *l. 51. ff. de V. S.* nulla quoque inter sexum factâ distinctione, adeò ut parricidium committatur, ejusque pœna locum habeat, non in iis tantummodò, qui patrem, avum, proavum, vel alium ex ascendentibus in infinitum masculini generis interficiunt, quod dubium ferè nullum habet. Jod. Damhouder *prax. Crimin. cap. 87. n. 1. 2.* Matth. Berlich. *part. 4. Conclus. 6. num. 24.* Prosp. Farinac. *d. quæst. 120. n. 108.* In hoc tamen est dubium, cùm post tritavum superiores propriis carent nominibus, an & hi ascendentium nomine veniant? Respondet *lex. 3. §. ult. ff. de grad. & affin. & nom. eor.* in quo admo-

admonendi ſumus parentum, liberorumque perſonas ſemper duplari: avum enim & aviam tam maternos, quàm paternos intelligemus: item nepotes, neptesque tam ex filio, quam ex filia, quam rationem in omnibus deinceps gradibus ſupra infraque ſequemur. Sed & ii parricidiali pœnæ ſubjiciuntur, qui matrem, aviam, reliquasque aſcendentes ſexus fœminini occidunt, quippe quæ æque nomine parentum veniunt. *d. l. 51. ff. de V. S. l. 1. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid. l. un. Cod. de his, qui parent. vel. lib. occid.* Farin. *d. qu. 120. n. 105.* Jac. Menoch. *de arbitr. Jud. quæſt. lib. 2. caſ. 356. n. 3. 4. 5. & ſeqq.* Parricidiali tamen non ſubjaceant, qui præferunt his perſonis præferenda omnino: omnino ſunt præferenda, quæ ſunt utilitatis publicæ, *auth. res quæ ſubjacent. Cod. Comm. de legat. l. 3. Cod. d. primipil. l. 12.* Hinc mater Cleomenis, Spartani Regis, virili animo, ſi perjurium abeſſet, cùm ſe obſidem ſalubri paci obſtare videret, filio nunciavit, ne rem honeſtam, & patriæ ſalutarem propter vetulæ corpus omitteret.

VI.

Nec refert, an liberi occidentes ſint legitimi, an naturales tantùm, an verò ſpurii: Quicunque enim illi ſunt, pœnam parricidii ordinariam non effugient, quia hoc caſu ſubſtantia parentum & liberorum conſideratur, non qualitas *l. 12. §. ult. de Accuſat.* Omnesque iſti ſecundùm naturam, & ſangvinem liberi ſunt, adeoque parentibus eandem debent reverentiam, quam liberi legitimi præſtant parentibus legitimis. *l. quicunque 4. §. ult. & l. parentes 6. ff. de in jus vocand.* De omnibus poteſt dici illud poëticum, *Germen iners abeas.* Liberi quoque ex coitu inceſtuoſo & adulterino nati, ſi parentum fata præparaverint, pœnâ parricidii tenebuntur. Licèt quidam exiſtiment hoc caſu ceſſare parricidii pœnam; quorum tamen ſententiam mini-

minimè probandam censemus: quoniam si solam naturam spectes, non minùs filius est ex incestu natus, quàm natus ex legitimo matrimonio, nec minùs pater, qui ex damnato coitu, ac qui ex legitima conjunctione filium procreavit. Vide sis inclytum illud Juris nostri Asylum, Excellentissimum atque Amplissimum Dn. Brandmyllerum, Præceptorem ac patronum meum æviternis nominibus ac parentis loco mihi suspiciendum, in Manuductione ad Jus Canonicum ac Civile, differ. *incestuosis alimenta debentur*. Vide Carpzovium in *pract. Crimin. part. 1. quæst. 8. num. 28.*

VII.

Justior dubitandi ratio de adoptivis est, an lege Pompejà contineantur? Contineri negant Decianus *tract. Crim. lib. 9. c. 9. num. 5.* Farinacius *d. qu. 120. num. 163.* Menochius *de arbitr. Jud. qu. cas. 356. n. 36. in addit.* Berlichius *part. 4. conclus. 6. num. 56.* adjuti suprà dictà ratione, quòd Lex Pompeja naturalem magis, quàm civilem respiciat cognationem, nulla autem naturalis necessitudo inter adoptivos est, vel quòd Lex Pompeja inducta sit ob violatam naturam, *l. 12. §. 4. ff. de accusat.* quæ in adoptivis nullam patiatur injuriam. *arg. l. 4. §. cognationis 4. ff. de gradib. & adfin. & nom. eor.* Verum enimvero videndum, annon rectius sentiant ii, qui defendunt in Lege Pompejà parentum appellatione etiam adoptivos contineri: Etsi enim adoptio civilem cognationem pariat, *d. l. 4. ff. de grad.* tamen & cognationis jura complectitur, iisdemque, quibus adoptatus fit agnatus, etiam fit cognatus: *l. qui in adoptionem 23. ff. de adopt.* Adeo ut Ulpianus JCtus generaliter responderit: Ubicunq; de cognatis agitur, ibi sic accipiemus, ut etiam de adoptione cognati facti contineantur, *l. 1. §. cognationem. ff. Unde*

cogna-

cognati. Neminem quoque movere debet, quòd lex Pompeja naturalem magis, quàm civilem spectet necessitudinem: his enim verbis non prorsus civilis necessitudo excluditur, sed naturali duntaxat postponitur. Probat id necessitudo patroni, & liberti, quæ cùm civilis potiùs, quàm naturalis sit, tamen lege Pompejà contineatur; Et cùm Vitricus lege Pompejà contineatur, quidni & adoptator? Cujus Persona adoptato æquè sancta esse debet, atque persona Vitrici privigno; Imo sanctior; Cùm adversus Vitricum furti detur actio, quæ non datur adoptato adversus adoptantem. *l. si nondum 3. & l. de his 11. Cod. de furt.* Eandem quoque reverentiam, pietatem, obsequium parentibus adoptivi debent, quam debent ex justis nuptiis procreati. *arg. l. 6. & 7. ff. de in jus vocand.* Adstipulantur D. Ant. Matthæus *d. crimin. lib. 48. tit. 6. num. 3.* D. Wissenbachius *disput. 36. ff. de Lege Pomp. de Parricid. th. 2.*

VIII.

Alter casus est, si Parentes liberos nefariè trucident. Quamvis enim parentibus quondam in filios non minùs, quàm Dominis in servos jus vitæ necisque competiit, *l. in suis 9. in fin. ff. de Lib. & Posth. l. fin. Cod. de patria potest.* Jus tamen istud summum sublatum est, & parentibus liberos suos necantibus pœna parricidii ordinaria indicta. *l. 1. ff. h. t.* Patria enim potestas in pietate, non in atrocitate consistere debet. *l. 5. ff. h. t.* Dissentit Clariss. Wissenbachius *disp. 36. de Lege Pompeja de Parricid. thes. 1.* Quæ suprà in liberis naturalibus, spuriis, incestuosis, parentes suos interficientibus statuimus; Eandem & parentibus liberos suos naturales, spurios, incestuosos; spiritu privantibus sententiam pronuntiandam censemus, ob suprà dictam rationem, quod in crimine parricidii violetur quasi ipsa natura. Natura autem inter liberos naturales & legitimos

timos non distinguit. *Nov. 74. cap. 1. l. adoptivus 14. §. Serviles. ff. de ritu nupt.* Et sicut natura non distinguit legitimum à naturali, pariter neque amorem patris debere distinguere tradit Baldus in *cap. quæ in Ecclesiarum. Col. f. d. constit. & in l. cùm acutissimi. Col. 2. vers. quæro quid si per statutum. Cod. d. fideicommiss.* Sed quod de spurio & naturali dictum, ita verum esse arbitramur, si certò constet spurii occisi interfectorem patrem fuisse. Quando verò dubium de eo est; veluti si mater sit scortum publicum, pluribus copiam sui faciens, eamque non solùm ab eo, qui parens perhibetur, & infantem occidit, sed & ab aliis pariter carnaliter cognitam, & imprægnatam certum sit, aut certè si ipsemet occisor ignoret an sit parens, non certè parricidii, sed alià mitiori pœnà plectendus est: Etenim quia incertus est pater, parricidium quoque incertum est, adeoque & pœna parricidii cessat, neque spurius videtur occisus à patre, sed ab extraneo, juxta tradita Jacob Menoch. *de arbitr. Jud. quæst. libr. 2. cent. 4. cas. 356. n. 16. in addit.* D. Carpzov. *in pract. Crim. patt. 1. qv. 9. n. 9.* Quod attinet incestuosos, plurimi in diversum abeunt Doctores contendentes parentem, qui partum adulterinum vel incestuosum necat, non parricidii, sed alià mitiori pœnâ afficiendum. Cujus assertionis auctores sunt Celeberrimi Viri Virgil. Pingiz. Jason, Farinacius, Decianus, Menochius, Carrerus, Corradus, quorum argumenta excutere & examinare nimis prolixum foret; Solidè ea diluit & confutat D. Carpzovius *pract. Crim. part. 1. qu. 9. n. 15.* ad quem avidum lectorem brevitatis gratià remitto.

IX.

Dictum est hactenus de parente liberis suis impias manus inferente, eosque dolosè, & ex proposito occidente: sed quid si Parens liberos non manibus suis trucidat,

 dat,

dat, verùm alio modo perimit, causamque morti præbet: ut puta cùm partus à se progenitos exponit, vel abjicit, parine pœnâ cum superiore plectendus? Interpretes hac in quæstione inter se non conveniunt: Alii ordinariâ parricidii pœnâ, alii gladio, alii fustigatione cum perpetua relegatione, alii arbitrio Judicis vel extra ordinem puniendum censent. Nos distingvendo rem omnem tribus, ut ajunt, verbis expediemus; Ut si quis in publico aliorum misericordiæ infantem recens natum exposuerit, isque præter omnem opinionem perierit, extra ordinem puniatur; sin in locum ab hominum conspectu remotum infantem abjiciat, ubi ineditâ pereat, vel à bestiis consumatur, subjiciatur legibus Corneliæ & Pompejæ tanquam Sicarius & Parricida. Hîc enim verè locum habet illud Ulpiani in *l. 15. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Nihil interest occidat quis, an causam mortis præbeat: nec non illud Pauli in *l. 4. ff. de agnosc. & alend. lib.* Necare videtur non tantùm is, qui partum perfocat, sed & is, qui abjicit, & alimonia denegat. Cum quo & coïncidit Ordinatio Criminal. Carol. V. in art. 132. in fin. ibi. stürbe aber das Kind von solchem hinlegen/ so soll man die Mutter nach Gelegenheit des gefährlichen hinlegens am Leib und Leben straffen.

X.

Post ascendentes, & descendentes seqvuntur collaterales, & succedit casus ille; si fratres, vel reliqui consangvinei, conjuges, & affines se invicem conficiant, de quibus interrogamus, An & hi omnes parricidium committant, & sub lege Pompeja de Parricidiis contineantur? Primum inter collaterales in *d. lege* obtinent locum fratres, sorores, patrueles, matrueles. Qui patruelium & matruelium appellatione in *d. lege* contineantur?

tur? proximum eſt, ut videamus. Duorum fratrum, vel ſororum, vel fratris, & ſororis liberos patruelium & matruelium appellatione accipere non poſſumus: Hi enim verbo conſobrinorum indigitantur, quod generale eſt, & patrueles atque amitinos complectitur. *l. 1. §. 6. l. ult. §. 15. ff. d. grad. & adfin.* §. 4. *Inſt. de grad. Cognat.* Nec rectè fuiſſent præpoſiti patruo, avunculo, amitæ, materteræ, qui tertio gradu ſunt, cùm duorum fratrum liberi quarto inter ſe diſtent gradu, *d. l. 1. ff. d. grad. & adf.* quia quatuor ſunt perſonæ generatæ. §. 7. *Inſt. de grad. cogn.* Quare cum Cujacio 6. *obſ. 17.* & Hotomanno 6. *obſ. 10.* per fratres patrueles intelligemus conſangvineos, id eſt, eodem patre natos; per matrueles uterinos, id eſt, eâdem matre natos. Inſolens quidem verborum uſurpatio, ſed quam vel ſola Marciani authoritas tueri poteſt. Graviter obſtat, *ſed ſciendum* 3. verb. *ſed non etiam eos pariter complecti, qui pari propioreve gradu ſunt. ff. eod.* R. Hotomannus *d. c.* 10. hunc locum fœdiſſimè eſſe contaminatum, & emendari poſſe demptâ negatione hoc modo: *ſed etiam eos pariter complecti, qui pari, propioreve gradu ſunt.* Wiſſenbachius *part. poſt. ad Pand. diſp. 36. n. 2.*

XI.

Conſobrini mentio arguit & alios, qui pari propioreve gradu ſunt, comprehendi, adeoque eum, qui patruum magnum, avunculum magnum, cœterosque quarto gradu locatos interfecerit, hâc lege Pompejâ teneri; non verò patruum majorem vel maximum, quoniam lex Pompeja quartum gradum non egreditur. Ant. Gomez. 3. *reſol. cap. 3. n. 3.* Generi quoque & nurus appellatione progener & pronurus, ſicut è contra ſoceri & ſocrus verbo proſocer & proſocrus continentur, arg. *l. nurus. 50. & l. generi 136. ff. d. V. S.*

XII.

Insuper, ut pœna parricidii locum habeat, requiritur, ut parricidium dolo malo sit patratum. Lex etenim Pompeja persequitur crimen, sed crimen non contrahitur, nisi dolo, affectu, animo. §. *1. Inst. d. vi bon. rapt. l. 23. §. 2. ff. de ædil. ad l. pen. ff. ad leg. Jul. d. adult. l. 20. Cod. ad leg. Cornel. d. fals. §. 7. Inst. d. Obl. q. ex del. nasc. l. 3. §. 1. ff. d. injur. l. 1. §. ult. ff. de abig. l. 14. Cod. ad leg. Fab. de Plag. l. 31. ff. ad leg. Cornel. de fals.* Adeo ut ne lata quidem culpa dolo æquiparetur. *l. 7. ff. ad leg. Corn. de sicar.* Nec mirum: mens enim peccat, non corpus, & unde consilium abfuerit, culpa abest, ait Livius *lib. 1.* Non exitus rerum, sed hominum consilia vindicantur. Cic. *pro Mil.* Quam sententiam expressurus Imperator Adrianus, in Maleficiis voluntatem non exitum spectari rescripsit. *l. 14. ff. ad leg. Corn. de Sic.* Expressim & habetur dolus in Const. Crim. Carol. V. art. 131. in pr. ibi. welches Weib ihr Kind/ daß das Leben / oder Gliedmassen empfangen hätte / heimlicher boßhaffter / williger Weise ertödtet. *& in* §. *1. circa medium;* dann daß dieselbig Mutter/ durch boßhafftigen Fürsatz vermeint/ mit Ertödtung deß unschuldigen Kindleins/ ꝛc. Quod si ergo parricidium præter intentionem & animum occidendi commissum fuerit; factum, quia deest dolus à pœna parricidii ordinaria, excusabitur. D. Carpzovius *pract. Crim. part. 1. qu. 15.* apud quem *n. 19. & seqq.* ad informandum judicis arbitrium tres casus potissimum sunt notandi, ad quos ferè omnes circumstantiæ & qualitates parricidii absque proposito commissi referri possunt: hasce si probè asservaverit Judex, à vero & æquo vix aberraverit.

XIII.

In dubio tamen arctissima sangvinis conjunctio & neces-

necessitudo, quæ inter proximas personas, inprimis ea, quæ inter parentes & liberos est, doli suspicionem aut minuit, aut excludit: *Sunt crimina*, inquit Quintil. *quæ ipsâ magnitudine fidem non impetrant: Parricidium aliquando legem non habuit. Itaque ad nefas magno oportet scelere parricida veniat.* Hinc tradunt Interpretes teste D. Matthæo: si filius exanimis in lecto patris reperiatur, non dolo, sed culpâ patris oppressum præsumi: Et contra si pater exanimis reperiatur in eodem cubiculo, in quo filii quiescebant, non præsumi vim factam à filiis: ac ne ab uxore quidem, quæ pudicè & sine mendacio cum marito vixit: nam si adultera sit, in ipsam suspicio criminis cadit; quoniam adulteræ maritos odio habent, eosque veneno sæpissimè conantur tollere. Ac quidem olim Cato dixit, referente Quintil. *l.5. tit. de exempl.* Nulla est adultera, quæ non eadem sit venefica, quod pulchrè explicat Cicero *ad Herenn. lib.4.* Hinc mulierem adulteram & veneficam, veluti quadam probabili consequentiâ jungit *l.8. p.3. ibi. nisi adulteram vel veneficam. Cod. de repud.* Appositè Ausonius Poëta

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito.

Inprimis verò dictæ personæ à parricidii suspicione immunes erunt, si eâ nocte, quâ cædes facta dicitur, se dormisse probent: Eo enim argumento, & olim Clœlii fratres, quorum pater T. Clœlius in cubiculo quiescens filiis altero lecto cubantibus erat interemptus: neque aut servus quispiam, aut liber inveniretur, ad quem suspicio cædis pertineret, hoc uno nomine absoluti sunt, quia Judicibus planum factum esset, illos aperto ostio inventos esse dormientes. Somnus innoxiæ securitatis certissimus index miseris opem tulit: Judicatum est enim rerum naturam non recipere, ut occiso patre super

vulnera & cruorem ejus quietem capere potuerint ut refert Valer, Max, dict. fact. mem. *lib. 8. cap. 1.*

XIV.

Non tantùm parricidæ legis Pompejæ pœnâ plectuntur, sed & qui facinus attentârunt, licèt id non peregerint; verbi causâ: si patrem interfecturus venenum emerit, quamvis non porrexerit, tenetur pœnâ parricidii. *l. 1. in fin. ff. h. t. l. un. Cod. de his qui parent. vel lib. occidit.* Nec refert, utrùm ad actum proximum an remotum perventum fuerit: emere enim venenum non actus proximus, sed remotus est; tamen ad emtionem legis pœna porrigitur. Perez. *prælect. ad Cod. h. t. de his qui par. n. 3.* Vide Harpprechtum *ad §. 5. I. de publ. judic. num. 387.* ubi proponitur conatus mariti uxorem occidere tentantis. Si ad proximum actum accesserit, ex nonnullorum sententiis parricidii ordinariâ pœnâ plectendus est: attamen contraria sententia, quod vid. talis mariti conatus, quantumnis proximus effectus, arbitrariâ tantùm, & quidem non L. Corneliæ, vel pœnâ gladii, sed mitiore coërcendus sit, magis est recepta, etiam de jure communi. Ex æquo ferè lex divina eum, qui percussit patrem aut matrem, moriendo mori, h. e. omnino & sine misericordia interfici, non addito utrùm percussus sit inde mortuus, an non. *Exod. 21. v. 15. 17.* Juri nostro & ferè congruit lex Platonis, quam vide *lib. 9. d. legibus.* Hodierno jure non puniri affectum neque conatum, sive attentatum alicujus criminis pœnâ ordinariâ, nisi sequatur effectus, attestantur Doctores communiter, quos magno agmine allegat Jul. Clarus in *pract. quæst. 92. n. 1.* & Prosp. Farinac. *qu. 124. num. 78. & seqq.* Eamque consuetudinem generalem esse & non indigere probatione dicit Baldus in *l. si fugitivi, num. 3. in fin. Cod. de serv. fugitiv.* Add, si lubet

jubet Dn. Carpzov. *prax. crim. part. 1. quæst. 17. num.* 14. 15. ubi ait, etsi jus civile puniat conatum, tamen jus Saxonicum solummodo punire eventum. Wesenb. in *paratitl. ff. ad Leg. Jul. de adult. num. 5. & ad l. Pomp. de Parricid. num. 7.*

XV.

Conscii quoque pœna parricidii tenebuntur, sive ex eadem sint domo, & familia, sive extranei. *l. utrum. 6. ff. eod.* quod tamen cum salis mica puto accipiendum; quando videlicet conscii simul sunt auxiliatores, & consilii participes: veluti si quis ad scelus committendum pecuniam subministraverit. *l. sciente. 7. ff. h. t.* non autem hoc extendendum est ad eos, qui sciunt tantùm, & non revelant. Nam frater, qui cognoverat tantùm fratrem emisse venenum, ut patri porrigeret, nec indicaverat, relegatur; Medicus autem, quoniam non cognoverat duntaxat, sed & particeps insidiarum fuerat, summo supplicio afficitur. *l. frater. 2. ff. h. t.* Vide Zœsium ad *h. ff. t. num. 2. ubi ad d. l. 2. & 7. h. t.* notat, fratrem quoque ex eo solo, quod conscius esset, sine cooperatione veneni à fratre præparati in patrem relegatum dici. Quo Zœsii asserto non tollitur pœna, sed pœnæ duntaxat imponitur modus. Dissentiunt magni quique Viri Gomezius *3. Resol. 3. num. 4.* Menochius *de arbitr. Jud. qu. cas. 355. n. 18.* Jod. Damhouder *prax. crimin. cap. 80. num. 10. per l. utrum 6. ff. h. t.* Quam tamen legem, etsi primo intuitu de conscíis generaliter loqui videatur, explico cum D. Matthœo & D. Wissenbachio ex *d. l. frater. 2. ff. h. t.* ut conscius sit, cujus conscientia nefarii criminis societate innexa est. Argumento est, quòd *d. l. 6.* de extraneis quoque loquatur; absurdum autem foret extraneum ob solam reticentiam morte puniri. Infirma & collectio est ex

l. 1.

l.1.§.18.ff.d. SCto Silan. in qua ſingulare in ſervo eſt, ut ſi conſcius inſidiarum eas Domino non indicaverit, teneatur, uti ad eam reſpondet celeberrimus & conſummatiſſimus JCtus, D. Petrus de Greve, in illuſtri Noviomagenſium Univerſitate Anteceſſor Ordinarius, Præceptor olim meus & Fautor omni animi obſervantià colendus, venerandus, *exercit. ad Pand. 27. th. 11.*

XVI.

Poſtquam qualitatem criminis expoſui, ad pœnas, quæ criminis hujus atrocitati congruunt, tranſeo. Pœna parricidii inſtituta more majorum, & confirmata Lege Pompejà eſt hæc, ut Parricida virgis ſangvineis verberatus culeo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, deinde in mare, aut prout regionis qualitas tulerit, in amnem culeus jactetur. *l. pœna. 9. ff. h. t.* cupœnæ ratio ſingularis redditur in *l. un. Cod. de his qui parent. vel lib. occid. &* §. *alia deinde. 6. I. de Publ. Jud.* ut ſcilicet omnium elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur. Quam rationem etiam elegantiſſimè deſcripſit Cicero Orat. pro S. Roſcio Amerino, inquiens: *O ſingularem ſapientiam Judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, aquam, terramque ademerunt, ut qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur. Non ſic nudos in flumen dejicere, ne cùm delati eſſent in mare, ipſum pollucerent, quo cætera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam eſt commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?*

ejectis? Ita vivunt, ut ducere animam de cœlo non queant: Ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: Ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: Ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Hæc Cicero. Itemque expressit auctor Metamorphoseos *lib. 8.*

Dii te summoveant ô nostri infamia secli.
Orbe suo, tellusque, tibi pontusque negetur.

XVII.

Modestini responsum in *d. l. 9.* etsi per se satis perspicuum videatur; nonnullà tamen ob suborientes quæstiones laborat difficultate, quæ non, nisi dubiis solutis summovebitur. Et primò quidem quæritur, Cur Modestinus pœnam parricidii moribus adscribat, cùm tamen auctor Rhetoricorum ad Herennium adscribat legi: *Lex est*, inquit, *qui parentem necâsse judicatus erit, is obvolutus, & obligatus corio dejiciatur in profluentem?* Assentitur & Valerius *lib. 1. cap. 1.* scribens hoc supplicii genus multò post Tarquinium Regem parricidis lege irrogatum esse. Doctores hic in respondendo variant. Nonnullis Modestinus JCtus videtur idcirco moribus majorum adscribere pœnam, quòd lex antiqua esset, & auctor ignoraretur arg. *l. patre 8. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 1. ff. de curat. furios.* quam opinionem fovet D. Matthæus *d. Crimin. lib. 48. tit. 6.* Aliâ viâ nodum hunc solvere aggreditur accutissimus Bachovius Comm. ad *§. 6. Inst. Publ. Jud.* statuendo legem hancce latam, ut conjicit, à Decemviris, non ineptè moribus adscribi, propterea, quòd jam leges XII. tab. illo tempore in desuetudinem abiissent, ex quibus, quod supererat, moribus imputatum fuisse. Se omnium optimè hanc difficultatem componere videtur Magnus Cujacius *lib. 5. sent. Paul. 24.* existimans hoc supplicium idcirco legi adscribi à

Valerio, quòd mores vim legis habeant per *l. 32. 33. ff. d. legib. l. 1. Cod. quæ sit long. Consu.* Cujus sententiæ & auctorem habemus clariss. Wissenbachium *disp. 36. h. t. th. 4.* Originem itaque pœnæ hujus ex tacita consvetudine, non lege scripta dependere dicimus: licèt non desint, qui suspicantur, legem de parricidiis latam post Annibalis bellum, cum primus Lucius Hostius matrem interfecisset. Politissimus Sigonius *2. de Jud. 31.* Utut sit, hoc certò constat, bello Cimbrico anno DCXL. Publicum Malleolum matre interremptâ primum omnium culeo insutum in mare præcipitatum esse. Livius *lib. 48.* Florus *Epist. 68.*

XVIII.

Secundò quæritur, cur Justinianus Imperator hanc parricidii pœnam appellet novam, *§. alia deinde 6. I. de Publ. Jud.* quam tamen more majorum institutam ait Modestinus *d. l. 9.?* Sed facilis est responsio: Imperator appellat novam, quæ est vetustissima, ea de causa, quia non erat in usu ante constitutionem, *d. l. un. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.* vel non erat solennis, ut verba dictæ constitutionis sonant Cujac. in *paratitl. ad d. t. Cod. d. his qui parent. vel lib. occid.*

XIX.

Tertiò quæritur, cur Justinianus legi Pompejæ culeum adscribat, cùm tamen ex *d. l. 1. h. t.* appareat, legis Pompejæ pœnam non culeum fuisse, sed eandem quæ est legis Corneliæ de sicariis, nempe deportationem, *l. 3. §. pen. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Sunt qui respondent (inter quos & nomen suum profiteri videtur Clariss. Ludwel. *Exercit. Justin. disp. 18. th. 6.*) ideo culeum legi Pompejæ adscribi, quòd id supplicium, cùm in usu esse desiisset, à Constantino fuerit revocatum, *d. l. un. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.* Non enim esse novum, ut quæ pœna in

prio-

prioris locum ſurrogata eſt, ea perinde legi adſcribatur, ac ſi ex ea ipſa deſcenderet. Sic etenim legi Juliæ de adulteriis adſcribi gladium, §. *4. Inſt. de publ. Jud.* cùm tamen gladii pœna non ex lege Julia (cujus quippe pœnam relegationem fuiſſe tradit Magnus Cujacius *lib. 6. obſerv. 9.* ex *l. 5. ff. de quæſt.* cui add. *l. 13. ff. d. his quæ ut indig. auf. l. 2. §. 3. ff. d. his qui not. inf. l. 4. §. 7. ff. de re milit.*) ſed conſtitutione Conſtantini deſcendat. *l. 30. §. 1. Cod. ad leg. Jul. d. adult.* Si tamen penitius leges has inſpiciamus, ſemper erit, quod diverſum ſubminiſtret. In *d. l. 5.* ob circumſtantiarum varietatem mitior pœna irrogatur. In *d. l. 13.* potuit interveniſſe reſcriptum gratiæ. In *l. 5. §. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ.* qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo ſupplicio punitur; tamen in *l. un. §. 1. C. d. rapt. Virg.* potuit interveniſſe reſcriptum gratiæ, poſt quod nullo modo nulloque tempore inter raptorem, & raptam conſiſtit matrimonium. In *l. 2. §. 3.* libera adulterii pœna relinquitur, ita ut nec creſcat, nec minuatur. Ut tamencunque damnatus L. Juliâ de adulteriis vivus maneret, non tamen vivus ambulabit inter milites, ſed ita infamis erit, ut etiam ipſa ſententia eum Sacramento ignominiæ causâ ſolvat. Sic in *l. 4. §. 7.* adulterii damnati inter milites non ſunt recipiendi. Sed reſpondendo pergamus; legi Corneliæ de Sicariis adſcribitur ferrum, cùm tamen ejus pœna fuerit deportatio. *l. 3. §. pen. l. penult. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Verùm hæc nos non morantur, quin potius reſpondeamus rectè Juſtinianum legi Pompejæ in *d. §. 6.* adſcripſiſſe culeum: Lex etenim Pompeja eandem pœnam in parricidas ſanxit, quam lex Cornelia. Et Cornelius Sylla non tantùm ſicarios punit, ſed & parricidas, *l. ult. §. 32. ff. d. orig. Jur.* retentâ pœnâ culei more majorum introductâ, ut ex Ciceronis

 ora-

oratione pro S. Roſcio viri docti colligunt. Sigonius *d. cap.31.* In tranſitu è *d.*§.*32.* hoc notetur ambiguum, non videri Interpretes Pomponii mentem penetrâſſe, qui qvum tres ſaltem quæſtiones nominet, & tamen plures Prætores, non poteſt dici quæſtionum numero numerum Prætorum accommodâſſe. Ego, qui veteres conciliare malo, quàm errorum non ſatis manifeſtos carpere; hoc voluiſſe reor Pomponium; Cornelium Syllam adjeciſſe quatuor prætores, non ſex illis prætoribus, qui ante ipſum creabantur, ita, ut decem eſſent, ſed quæſtionibus. Præterea non obſtat, quod Marcianus in *d.l.1. ff. h.t.* ait, lege Pompejà cautum fuiſſe, ut parricida eà pœnà puniatur, quæ eſt legis Corneliæ de Sicariis. Illud enim, de ſicariis, non ad pœnam ſicariorum referendum, tanquam eadem ſit pœna Sicariorum & Parricidarum, ſed veriùs ad legem demonſtrandam pertinent, ut ne intelligeretur Cornelia de falſo, Cornelia majeſtatis, Cornelia de injuriis, ſed Cornelia de Sicariis, quatenus nimirum ad parricidas pertinet. Cujacius *in paratitl. Cod. de his qui par. vel lib. occid.* & *in not. adſent. Pauli lib. 5. tit. 24.* Ant. Matth. *Com. de Crim. h. t. cap. 2. n. 2.* Wiſſenbachius *diſp. 36. de lege Pomp. de Parc. th. 4.* Lex Cornelia de Sicariis & L. Pompeja de Parricidiis conveniunt in relatione ad homicidium: diſcriminantur in relatione ad homicidii pœnam. Vel conveniunt, quoad genus pœnæ: diſcriminantur quoad pœnæ extenſionem.

XX.

Parricida primò virgis ſangvineis cæditur. Virgæ ſangvineæ quæ fuerint, apparet ex Plinio, qui tradit, frutices quosdam ſangvineos dictos, quòd facilè ſanguinem elicerent ſaligneis non diſſimiles, *lib. 16. hiſt. nat. c. 18.* & *l. 24. c. 10.* Tales frutices arboribus infelicibus an-

nume-

numerati, *d. c. 10.* iisque Romani in rebus tristibus usi sunt. Fecialis hastâ sanguineâ & cruentâ bellum indicebat Liv. *l. 1. ut fecialis hastam ferratam aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret.* Virg. de Bellona 8. *Æneid.*

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Virgas lictorum quoque ex sanguineis fruticibus fuisse observat ex Plinio Cujacius in *par. Cod. d. t. d. his qui par.* Malè itaque emendat Corasius *lib. miscell. cap. 5.* dum contendit pro *sanguineis* legendum *sagmineis* per *l. 8. ff. de rer. div.* rectè eo nomine reprehensus à Criticorum rege Adriano Turnebo 8. *advers. 23.* Vide sis Duarenum ad *h. t.* & Hotomann. *in d. leg. Rom.*

XXI.

Parricida Virgis sanguineis cæsus culeo insuitur. Culeum, seu saccum coriaceum mensuræ genus fuisse rerum tam solidarum, quàm liquidarum text. est in *l. ult. §. ult. ff. de pignorat. act. l. quæsitum 12. §. 1. ff. de instruct. vel instrum. leg. l. 7. in fin. ff. de ann. leg. & fideic.* & testatur Festus in verb. Culiola: *Culiola*, inquit, *cortices nucum viridia, dicta à similitudine culeorum, quibus vinum sive oleum continetur.* Cui add. Catonem *de re rustic. c. 154.* Plinium *lib. 18. hist. nat. c. 31.* Columell. *de re rust. cap. 8.* Eumque ex corio confici solitum certò constat ex Juvenali Poëta; cùm ita canit *Sat. 13.*

Deducendum corio bovis in mare cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Cui & adstipulatur græcus Paraphrastes Theophilus in *d. §. 6. Inst. de publ. Jud. Isidorus.* verò non audiendus, qui in glossis ait: *culeum tunicam fuisse ex sparto in modum crumenæ factam, & solitam liniri à populo pice & bitumine.* Imperitè nimis confundit culeum cum tunica. Ille, quod dictum & certum est, corium fuit, in quem par-

 ricidæ

ricidæ insuebantur. Tunica, ut ex ipsius descriptione apparet, ab eis induebatur, qui erant igne cremandi. *Seneca* Epistola 14. *Cogita illam tunicam alimentis ignium & illitam, & intextam.* Juvenalis: *Tunica punire molesta.* Tertullianus ad Martyres: *Jam & ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent.* Hæc alimenta ignium non tantum sunt pœnæ, sed etiam sunt quæstionis, quæ pœnam antecedit. Vide Incomparabilis JCti Dn. Brandmylleri manuductionem ad jus Canonicum ac Civile in diff. *Quæstio sive tortura*, &c.

XXII.

Parricidæ Comites adduntur, canis, gallus gallinaceus, vipera & simia. Cur hæc potius animalia inserantur, rationem reddit H. Cardanus *lib. 10. subtil.* quòd quemadmodum simia homo non est, attamen videtur; ita etiam, qui proprium occiderit parentem; & quòd serpens insidiis anteit, & inimicissimus est humano generi, non secus ac parricida; item, quòd canes omnes odisse videntur, solumque hoc animal nemini parcit, neque proprio generi, denique quòd gallus sit superbissimus. Alias rationes tradit Glossa ad jus Saxonicum in Landr. lib. 2. art. 14. vers. Nun möchstu sagen/ &c. ibi: der hund zeiget an/ daß ein sollicher mensch seine eltern nie mit ehren erkandt hat/ wie der hund thut/ welcher neun tage blind ist. Der Hahn bedeutet deß menschen frevel und durstigen hochmuth/ den er an seinem vater/ oder kind begangen hat. Die Natter bedeutet sollicher eltern unglück/ dann von dieser geberung sagt man also/ daß wann sie sich gatten wollen/ so stäcket das männlein sein haubt in deß weibleins mund/ darvon empfehet sie/ und allda beisset sie dem männlein vor wollust das haubt abe/ darnach wenn sie die Jungen gebühret/ muß sie von ihnen wieder sterben:

dann

dann als dieselben sollen gebohren werden / beissen sie sich aus der mutter leib / davon sie dann von stund an stirbet. Der Aff bezeichnet eines menschen gleichnuß oder todes ebenbilde ohne werck / dann wie der Aff in vielen dingen einem menschen gleich ist / und ist aber doch kein mensch; also ist dieser mörder einem menschen ähnlicher gewesen / ist aber mit der that / und hertzen kein mensch gewesen / weil er so unmenschlichen hat an seinem eigenen blut thun dörffen. Dn. Carpz. *prax. Crim. part. 1. qu. 8. n. 10.* Quanquam non tam modum pœnæ quam finem, qui est in *l. un. Cod. de his qui par. vel lib. occid.* attendamus, ut parricida omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur. Tandem culeo cum hisce animalibus parricida insulus, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projicitur. *l. 1. ff. h. t. l. un. C. d. his qui par. vel lib. occid.* §. *alia deinde. 6. Inst. de publ. Jud.* Ant. Gomezius *3. resol. cap. 3. num. 3.* Appositè Juvenalis de Nerone matricida & fratricida loquens: *Sat. 2.*

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

jung. Suet. in *Vita Neronis cap. 45.*

XXIII.

Hæc culei pœna solum irrogatur ei, qui parentis, aut liberorum fata properaverit ex constitutione Constantini *d. l. un. Cod. de his qui par.* & se properâsse fassus est, nec sufficit parricidium esse manifestũ. Apud Tranquillum Augustus cap. 33. dixit jus non diligentiâ modò summâ, sed & lenitate: siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hâc pœna, ita fertur interrogasse, certè patrem tuum

non

non occidisti; sin aliam personam cognatione vel affinitate conjunctam nefariè confecerit. Pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinet. §. *alia deinde 6. Inst. d. publ. Jud.* Objiciuntur verba Constantini: ait enim: *si quis parentis aut filii, aut filiæ, aut omnino affectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata præparaverit, culeo insuitor*: Atque cognati ad quartum usque gradum, nec non affines sunt ejus affectionis, ut nuncupatione parricidii contineantur *l. 1. ff. h. t.* Igitur sine distinctione Constantinus omnes parricidas voluit culeo insui. Non auderem asserere locum hunc corruptum esse, nisi me moveret summorum Virorum auctoritas. Quid igitur, non dubito, quin lectio istius loci vitiosa sit, & vel cum Matthæo non *parricidii* sed *parentum* legendum, quo modo in quibusdam codicibus legi testatur Wissenbachius *disp. 36. h. t. th. 5.* quâ correctione admissâ intelligemus Constantinum culei pœnam ad parentes & liberos restrinxisse, reliquis cognatione, vel affinitate conjunctis reliquisse pœnam legis Corneliæ de Sicariis.

XXIV.

Obiter hic monendum nonnullos mirari, quamob causam Constantinus nullam in *d. l. un.* mariti & uxoris habuerit rationem, cùm atrocius videatur peccatum conjugis quàm parentis fata properare, eò quòd in sacris dictum sit: Homo derelinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. *Matth. cap. 19. Marc. 10. Paulus ad Ephes. cap. 5. v. 31. add. c. admonere 33. quæst. 3.* Respondemus, ex eo sequelam hancce malè inferri: Tametsi enim, si thorum, & mensam, vel focum respicias, homo relictis parentibus adhærere debet; non tamen tanta conjugi, quanta parenti, reverentia debetur & exhibenda est. Non enim conjugi, sed parenti spiritum imputamus.

Quod

Quod cùm sit, gravius habendum parentis, quàm conjugis vitæ insidiari. Plura de hac quæstione si desideres, adi, si lubet, Gomezium *d. cap. 3. n. 3.* Farinac. *d. qu. 120. n. 130. & seq.* Decianum *l. 9. c. 11. n. 5.* Dn. Carpzov. *part. 1. qu. 12.* Ant. Matth. *Comment. de crim. cap. 2. n. 8. h. t.*

XXV.

Hæc, quæ supra de pœna parricidii diximus, quibusdam casibus limitantur. Primò, si quis per furorem parentem, aut filium occiderit, impunitus erit, eumque fati excusabit infœlicitas: sufficit enim furore ipso eum puniri *l. penult. §. ult. ff. h. t. l. 12. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Wesenb. *Paratit l. ff. h. t. n. 20.* Berlich. 4. *Conclus. 6. n. 55.* Ne tamen furiosi incautiùs similia perpetrare valeant, diligentiùs custodiendi & damnandi sunt, ut strictissimè & catenis, truncis magnis, vel postibus alligentur, aut compedibus ferreis impediantur, aut cellulis clathratis arctissimè includantur, *d. l. pen. §. ult. ff. h. t. l. congruit bono. 13. §. 1. & l. Divus. 14. ff. de offic. præsid.* Jod. Damhouder. *Prax. Crim. cap. 87. n. 9.* Amplissimus Berezius *præl. in tit. Cod. d. his qui par. vel. lib. occid. num. 10.*

XXVI.

Secundò pater filiam adulteram, quam in potestate habet, in domo sua vel generi deprehensam, & quidem in ipsa turpitudine vel rebus Veneris, impunè potest occidere. *l. 20. 21. 22. 23. 24. 32. ff. ad Leg. Jul. de Adult. n. 13.* Dn. Matthæus *comment. de Crim. tit. ad leg. Jul. de Adult. n. 13.* Ipsum facinus paternam destruit pietatem. Hippomenes Atheniensium Princeps è Codridarum familia, cùm apud filiam ex Atalanta Limonam adulterum deprehendisset, utrumque necâsse traditur, Tiraquellus *l. connub. 13. num. 9. sub fin.* Tholos. *syntagm. jur. lib. 36. c. 6. num. 22.* Quò spectat Ovidius *in diris ad ib.*

Utque novum passa est genus Hippomenia pœnæ,
Tractus & Actæa fertur adulter humo.

Et rursus ibidem:

Solaque Limonæ pœnam ne senserit illam,
Et tua dente fero viscera carpat equus.

Wisigothorum L. hæc fuit, *si filiam in adulterio pater domi suæ occiderit, nullam pœnam, aut calumniam incurrat. Si eam reservare voluerit, faciendi de ipsa, & adultero quod voluerit, habebit potestatem.* Hunc rigorem hodierni mores non receperunt. Gudelin. *de Jur. noviss. lib. 5. c. 18.* Zypæus *d. rapt. Virg. in pr.* Christin. *ad LL. Mechlin. tit. 2. art. 13. num. 19.* Charondas *pandect. du droit. Franc. libr. 4. c. 9.* Bugnon. *d. LL. abrog. libr. 2. sect. 29.*

XXVII.

Quid si filius salutis causa patrem (apertâ vi nullius criminis, vel peccati sibi conscium filium perimere tentantem) occidit, nonne pœna capitis remittenda filio? Ita sane videtur: namque non solùm gravissimus dolor parricidio causam dedit, verùm etiam pater, qui tale quid commisit, exuisse patrem, patrisque nomen dici potest, ut indignus habendus sit, cujus mors culeo vindicetur. Etenim si idcirco licet vim atque injuriam propulsare, quoniam natura inter nos cognationem constituit, hominique hominem insidiari nefas est, ut ait Florentinus in *l. 3. ff. de Inst. & Jure;* consequens est, eò magis vim à patre illatam propulsare licere filio, quo arctior & efficacior inter utrumque necessitudo à natura constituta est. Accedit, quod cùm amor à se ipsa incipiat, non videatur filius salvâ conscientiâ salutem propriam postponere posse saluti parentis, uti loqui amat A. Matthæus *comment. de crim. c. 2. num. 12.* Subscribunt huic assertioni Decianus *d. cap. n. 12.* Menoch. *cas. 356. n. 35. in addit.* Farina-

nacius *d. qu. 120. n. 186.* Berlichius *4. conclus. 6. n. 62. 63.* sed in diversum abeunt Plato *lib. 9. de leg.* & Bodinus *lib. 1. de republ.* Hic Feudistæ sciscitantur, *Si auxilium Vasallus Domino ferre debet contra omnes homines, an etiam contra parentes?* Quod satis durum, & inhumanum videtur, ut contra eum Vasallus Dominum juvare debeat, cùm nihil magis naturæ & præceptis divinis contrarium sit, quàm patrem, à quo vitam habemus, oppugnare, ipsumque vitâ privare. Hoc improbat Hotomannus *ad c. dominio in fin. 2. F. 28.* ipseque distinguit, utrum pater contra patriam quid moliatur, an contra alium privatum seniorem, sive dominum. arg. *l. 35. ff. d. relig. & sumpt. funer.* Vide nostri ævi Theoreticorum facilè Principis Dn. Brandmylleri Dubia Juridic. ad libr. 1. Inst. Jur. *disp. 1. th. 15. Obst. 5.* Contrà verò Feudistæ communiter affirmativam tuentur per textum expressum in d. c. domino, à quo recedendum non est. Non o. quòd patri ex jure divino & naturæ reverentia debeatur *l. 2. ff. de J. & J.* Respondet Ludwel. in *Synops. jur. feud. cap. 14.* frustra leges invocare eum, qui contra leges committit *l. 37. in fin. de minorib.* ideoque contra patrem, qui spreto divino, & humano jure dominum injustè lædit, filium justè arma induere posse.

XXVIII.

Pœna item legis Pompejæ remittitur patri, qui justissimi doloris concitatus stimulo filium interfecit, *l. 5. ff. h. t.* ubi pater, qui filium novercam adulterantem in venatione occiderat, à Divo Adriano in Insulam deportatus est. Summa animi perturbatio & justissimus dolor in causa fuit, ut ultimum supplicium remitteretur; tamen quia latronis magis, quàm patris jure eum interfecerat, deportationis pœna ei irrogata est: cùm patria

potestas in pietate, non in atrocitate consistere debeat, *d. l. 5.* vide *tit. Cod. de Emend. propinq.* In *d. l. 5.* proponitur casus minùs dubius circa novercam, erga quam non æquè inclinat filialis amor, ac erga genitricem, quam procreatio fecit. Apud Latinos omnia iniquitate, insidiisque nocentia novercis æquiparantur. Vult Higinus Agrimensor. iniqua loca omni modo vitari debere, quæ novercæ appellentur. Quid in Julio Frontino *lib. 1. d. Coloniis.* in Magone reperiatur, vide Barthium in Claudianum *d. bell. Gildon. num. 173.*

Horatius,

Quid ut noverca me intueris? aut uti petita
Ferro bellua.

Virgilius,

Pocula si quando cervâ infecere novercæ.

Tibullus,

Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca priùs.

Apulejus Metam. 10. *Dira illa fœmina, & malitiæ novercalis exemplar unicum, non acerbâ morte filii, non conscientiâ parricidii, non infortunio domûs, non luctu mariti, non ærumnâ funeris commota, cladē familiæ vindictæ compendium traxit.* Tacitus Annal. 1. *Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis suspecti & invisi juvenis cædem festinavisse.* Vide Quinctilianum Avum *declam. 327. 382. l. 4. ff. de inoff. testam.* Casus magis dubius esset circa genitricem, quam procreatio fecit; de ea elegans est historia, quam narrat Valer. Max. *lib. 8. cap. 1.* digna, quæ hîc ex ipso Valerio apponatur. Materfamilias Smyrnæa virum & filium interemit, cùm ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella Proconsulari imperio

Asiam

Asiam obtinens ad se delatam Athenas ad Areopagi cognitionem relegavit: quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam justo dolore impulsam sustinebat. Consideranter & mansuetè populi Romani magistratus; sed Areopagitæ quoque non minùs sapienter. Qui inspectâ causâ & accusatorem, & reum post centum annos adesse jusserunt: eodem affectu moti, quo Dolabella. Hæc igitur, quoniam justissimo dolore Mota mariti & filii cæde se maculaverat, neque absoluta, neque damnata est. Idem refert Aulus Gellius *noct. Attic. lib. 12. cap. 7.* sed ille transferendo quæstionem, hi differendo damnandi, atque absolvendi inexplicabilem cunctationem invitabant.

XXIX.

Remittenda quoque pœna patri est, qui filium, filiamve, ne stuprum pateretur, occidit, cum aliter eam ignominiam evitare non potuit, facit *l. 8.* §. *2. quod metus causa.* Ita Virginium fecisse legimus, cùm aliâ viâ filiam à stupro Appii Decemviri tueri non posset, narrat Livius *l. 3. cap. 48.* Pomponius in *l. 2.* §. *24. ff. d. Orig. Jur.* ubi, cum Virginius castitatem filiæ vitæ quoque ejus præferendam putaret, arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit: in hoc scilicet, ut morte Virginis contumeliam stupri arceret.

XXX.

Excusamus quoque à parricidii pœna patrem, qui extremâ famis necessitate urgente, ex interfecti filii carne latranti stomacho quæsivit dapes: Est enim acutissimum telum fames, nec admittit pietatis & sapientiæ præcepta venter carens auribus. Ita in sacris imperante Israëlitis Joramo, cùm obsessa à Syriorum Rege Samaria mater filium ex pacto mactâsset, & comedendum

propoſuiſſet, nullum à rege eo nomine judicium conſtitutum legimus. *l. 2. Reg. cap. 6. v. 28. & ſeqq.* videat, cui volupe eſt, Decianum *lib. 9. c. 15. n. 6.* Claudianum *libr. d. bell. Gildonic.* ubi, quid ſit fame confici, deſcribitur. Ipſam famem deſcribit VIII. Ovidii Metamorphoſis.

Quæſitamq́; famem lapidoſo vidit in agro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis cava lumina pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabrique rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent.
Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus, pendére putares
Pectus, & à ſpina tantummodò crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

XXXI.

Sed quid, an filius patrem patriæ proditorem, aut perduellem impunè occidit? Gravis ſanè quæſtio, in qua pietatis reverentia cum utilitate publica certare videtur. Marcellus in *l. minimè 35. ff. d. religioſ. & ſumt. fun.* reſpondit, ſi filius patrem ad patriam delendam hoſtili animo venientem occidit, ſine ſcelere id fieri, atque etiam præmio afficiendum majores cenſuiſſe. Quod Marcelli reſponſum graviſſimis rationibus premitur: Licet enim hoſtis patriæ, legum contemtor, & impius ſit pater, pater tamen eſt, ait Juſtinianus *Novell. 12. c. 2.* Quod tantum ſcelus reperiri poteſt, quod parricidio ſit vindicandum, rogat Quinctilianus *declam. 286.* In parricidio nulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt, proclamat Juſtinus *lib. 16. hiſt.* Nullo hominum placito, vel civitatis inſtituto, reverentia parentibus jure naturæ debita deleri, atque extingui poteſt.

Nec

Nec lex divina, quæ parentes honorari præcipit, exceptionem addidit: Extra quam si hostes fiant. In hoc rationum conflictu distinctio videtur adhibenda inter patrem, qui contracto agmine hostili venit oppugnatum patriam, & patrem proscriptum, bannitum, cui nulla militum manus, nullæ vires. Proscriptum si occiderit filius, non solùm non præmio honorandum, sed & capite plectendum. Menoch. *de arbitr. Jud. qu. 90. n. 43.* sin eum occiderit, qui ad patriam delendam hostili animo veniebat, pœnæ quidem gratiam faciendam, non etiam præmio afficiendum dixerim. Wissenbachius ad *d. l. 35. ff. de relig.* Harpprechtus *comment. ad §. 5. Inst. de publ. Jud.* Hugo Grotius *lib. 2. de Jure bell. & pac. c. 18.* Minùs dubitatur in persona patris. Hinc non sine sui commendatione perpetuâque laude Aulus Fulvius Senatorii ordinis Vir, euntem in aciem filium retraxit: juvenemque & ingenio, & literis, & formâ inter æquales nitentem pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus temerario impetu properantem mortis supplicio affecit, præfatus non se Catilinæ illum adversus Patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. Harpprechtus *ad d. §. 6. n. ult.* Imitabatur hic Fulvius aquilam, quæ apud Plinium *libr. 10. cap. 3.* pullos suos opponit radiis solis. Et pullum, qui radium solis more patris immoto lumine cernit, tanquam proprium diligit, illum verò, qui hoc non facit, tanquam degenerem abjicit.

XXXII.

Nobilis succedit quæstio, an si filius patrem, vel pater filium carceri inclusum, ne publicè decapitaretur, ad effugiendum publicæ mortis ignominiam veneno extinxerit, de parricidio teneatur, & ut parricida puniendus

dus sit? Negat Decianus *tract. crim. l. 9. c. 8. n. 17.* Affirmat Farinacius *d. qu. 120. n. 134.* quem sequitur Dn. Matthæus *d. crim. h. t.* Atque horum sententia, ut simplicissima, ita & verissima nobis videtur. Ratio in promptu est, quod is, qui patri vel filio carcerato ita venenum propinet, non simplex, sed duplex facinus admittat; Nam & cæde patris manus contaminat, & carceris violationem ad parricidium adjicit: Non enim ille solum carcerem violat, qui vi manuque effringit; sed & qui reum quoquo modo eximit *l. 4. verſ. qui confeſſ. ff. ad L. Jul. Majeſt. l. ult. ff. de cuſt. & exhibit. reor.* Menochius *qu. 225. n. 5.* Carrerus *in pract. crimin. in 3. tract. de homicid. & aſſaſſin. §. nono quæro. n. 34.*

XXXIII.

Tantum de pœna culei, quæ hodie passim in Germania, Belgio, Gallia, Italia, tacitis moribus abrogata est exceptis terris Electoratûs Saxonici, quibus culeus adhuc in usu ob *conſtit. Elect. 3. part. 4.* Dn. Carpzov. *prax. Crim. part. 1. qu. 8. n. 17.* Nisi quod hoc temperamentum sit, ut loco culei, vel sacci coreacei hodie lineus, ne parricidæ cum periculo animæ diutiùs vivant, loco simiæ felis, propter magnitudinem pretii, loco serpentis vivi, si tam facilè haberi nequeat, in charta, vel linteo pictus, & si mare vel flumen propinqvum non sit, non quidem feris animalibus rei devorandi objiciantur, quod vult jus Civile, sed pœna rotæ afficiantur. Joh. Philipp. *in uſu pract. Inſtit. Juſtinian. libr. 4. tit. ult. §. 6. col.* 88. Testatur Gomezius *de delict. cap. 3. n. 3.* Hispaniam quoque adhuc culeo uti, ita tamen, ut non nisi interfectus parricida in eum insuatur. Jul. Clarus *lib. 5. ſent. par. Parricidium. n. 5. verſ. dum eſſem in Hiſpania.* Apud reliquas gentes in locum culei successit pœna ultimi supplicii, cum aliquo alio genere

nere pœnæ, secundùm qualitatem cujusve regionis, veluti ut parricidæ gladio feriantur, vel vivi defodiantur, vel in quatuor partes dissecentur, vel canibus lacerandi tradantur, vel strangulentur. Farinac. *qu. 120. n. 12.* Gudelin. *5. de Jure Noviss.* 17. Wesemb. *in paratitl. h. t. num. 5.* Bugnon. 1. *leg. abrog. art. 237.* Unde tradit Jod. Damhouder *prax. crimin. cap. 87. num. 3.* quòd apud eum parricidæ ad caudam equi, aut ad quodvis vehiculorum genus affixi, cratique vimineæ insidentes, aut asseri dedecorosè pertrahantur ad supplicii locum, ubi decollentur, & corpora truncata rotæ in altum erigendæ affigantur, & tandem simul omnium bonorum proscriptione aut confiscatione plectantur.


XXXIV.

Sit thesis ultima *L. ult. ff. h. t.* in qua eorum, qui parricidii pœnâ teneri possunt, semper accusatio permittitur, i. e. ut interpretatur Hugo Grotius *in flor. spars. ad jus Just.* ad viginti annos. *l. querela. C. ad L. Cornel. de fals.* hoc jus est Romanorum. Apud Græcos veteres non obtinuit: nam Aristocratem legimus Ariadum regem prælii in Cypro proditi pœnas luisse post annos viginti. Habet id Plutarchus de *serâ Numinis vindicta.* Qui verò decem per annos pœnam perpetuam exierant, eos habitos in ministeriis, quæ non procul à pœna aberant; testis Plinius 10. *epist. 41.* An jure Canonico præscribi criminibus possit? vide Celeberrimi Dn. Brandmylleri Manuductionem ad jus Canonicum, ac Civile, in diff. *præscribi criminibus non potest.* Wernerum Johannem Uffelmannum *in lect. Rittershus. libr. 6. c. 3. obs. 3.* ubi *c. non debet 8. x. d. consang. & affin.* ita explicat, quod tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam: hoc esse intelligendum, si actio legitimo tem-

E pore

pore ſit inſtituta, quòd tum, licèt diu in actu illicito verſati homines fuerint, diuturnitas non excuſet, ſed potius incuſet magis, & facinus aggravet. Hoc quæſiverim duntaxat, ſi actio legitimo tempore non fuerit inſtituta, an propter non inſtitutam actionem ceſſet animæ infœlicitas, & non cenſeatur diutiùs alligata. Vide Wiſenbach. *ad ff. part. 2. diſp. 36. th. 7.* juxta quem mores nullam admittunt præſcriptionem in parricidio, in ſuppoſitione partus, in cæde ex inſidiis facta, & ſimilibus graviſſimis criminibus.

SOLI AC IMMORTALI DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA IN SEMPITERNA SECULA.



CAN-

CANDITATI
IN UTROQVE JURE
NOBILISSIMI
DN. HENRICI DE BILDERBECK
COLONIENSIS
NON FAVORE SED JUDICIO
DICTI NUNCUPATI
PRÆCLARÆ ÆQVI ET BONI
NOTITIÆ
QVAM FASTI IN SECULA DUCANT
INSCRIBIT
VOTI FELICIORA
JACOBUS BRANDMYLLERUS.



I.

BELGA ſuas jactet variâ ſub luce nitentes
Gemmas, ac ludat ſplendor ubiqve novus.
Monſtret in eximiis præluſtria dona lapillis,
Quas tulerint cruſtas litora fauſta rudes.
Et quæ depromant Arabes pretioſa ſuperbi:
Ut natis opibus culmina celſa gemant.
Elatas numeret puppes, his carbaſa nexa,
Queis frangant undas brachia nuda modis.
Vomere non credat prono convellere taurum
Glebam, non falcem deſecuiſſe ſata.
Id laudi ducat ſe ſub pugnantibus hoſtem
Vincere ſe quosvis ſternere magnanimos.
Non has miramur dotes, hinc cæca recede
Caligo alterius commoda deliciis;
Naturæ ſint depoſitum, nos montis arenam
Sed male purgatos credimus ante pedes.
Aurum ſi jactat, turbato ſordidus auro
Hermus ſe jactet Heſperiusque Tagus.

Si ja-

Si jactat puppes, alii constantia tigno
Mœnia Tænario puppibus objiciunt.
Credimus hæc etiam, quæ narrant arma, referre
Turbam, turba domûs mœsta sepulcra timet.
Hæc curent PATRIÆ PATRES, nos subdere vota
Est satis, & satis est promptius obsequium.
Credimus & pinguem nunquam sine vomere glebam
Crescere, stent quæ non falce resecta cadunt.
Gloria an inde venit pugnantibus esse ferocem?
Vincendo redeat, cùm jacet hostis, amor:
Haud instent homines, instant morientibus ursi,
Instat funesto sæviùs ore lupus.
Sic qui Socratici revocas encomia plausûs
Et primæ famæ facta secunda places,
Committis gentem genti, te Belgica flectit;
Est tamen in nostris, quod vereare, locis.
Belga in Apollineo cùm se non prædicet ortu,
Forsan Apollo patrem te BASILEA colit,
Dum dubitas, vultu dum nostros aspicis ausus,
Te nostri radii protinus abripiunt.
Quod solum jactes Cœlumque recludat eunti
Per tentata suis ardua temporibus,
Est Virtus excussa suis conatibus, aucta
Illecebris, miti svavior eloquio:

Accedit Doctrina potens, educta medullis
Legum, collecto pectore sollicita.
Illa favet, favet ista tibi, se miscet utrique
Gratia, ceu molli surgeret apta toro.
Juncta meis optata beent te, magne Sacerdos,
Succedat capiti digna corona tuo.
Tandem ne superent studii te tædia, tæda
Virginis innuptæ se tibi restituat.

II.

Quod Natura horret, digito quod scripta minaci
Lex prohibet, Gentes quod stupuisse refers.
Quod semel auditum terrorem spargit, & auras
Ferali infestat carmine, triste nefas.
Cur chartæ hoc mandâsse placet? num crimine tanto
Harpocrates potior non taciturnus erat?
Sed juvat ô vidisse scelus, quod pagina damnet
Doctior, & multo sangvine tincta manus.
Quod satis haud qui odisse potest, hunc terreat anguis,
Hunc BILDERBEKI simia scripta fuget.

In honorem
Nobiliss. DN. CANDIDATI
adp.

JOH. JACOBUS HOFMANNUS
G. L. P.